

# 275 Disp. VII. Part. III. an mund⁹ ab ætern: &c. 276

**Confirmatur: Infinito nihil potest addi;**  
infiniti autem præcessent dies, quibus tamen  
addeceretur hodierna: item aliquid esset maius in-  
finito, & pars non esset minor suo toto; dies  
enim præcedentes diem hæsternam sunt pars to-  
tius temporis, quod præteriit; vsque ad hodie-  
nam diem, & tamen non essent minores toto  
tempore, quia essent infiniti: item sequeretur,  
quod vnum infinitum esset maius alio, essent  
enim plures dies, quam anni.

**Confirmatur secundo:** Quod iam forent  
infinitæ animæ rationales: cùm enim sint im-  
mortales, conseruatae essent: item infiniti equi-  
fuerint generati successuè; & tamen aliquis fuis-  
set prius equus antequam nullus, & aliquis ul-  
timus, hæc autem implicant: nam positis ex-  
tremis non est possibili media esse infinita: item  
sequeretur multitudine, & magnitudo infinita;  
nam si Deus quilibet die creasset vnum lapidem,  
cùm infiniti præteriissent dies, infiniti quoque  
lapides creati fuissent, ex quibus coalesceret &  
multitudine, & magnitudo infinita.

**Ottavum.**

**Ottavum:** Supposito quod mundus esset  
ab æterno: pero, vel non esse mundi præcessit  
duratione mundum, vel non? si præcessit, ergo  
mundus non est ab æterno, quod enim est ab æ-  
terno, nihil habet prius se; aut non præcessit? si  
non præcessit, ergo in eodem signo durationis  
simil fuit esse, & non esse, quod implicat.

**Xenum.**

**Xenum:** Omne præteritum fuit aliquando  
futurum; quare aliquando fuisse dabile instans,  
in quo verum fuisse dicere, quod infinite revo-  
lutiones erant futurae, ergo cùm in presenti in-  
stanti forent præterita, sic intra duo designata  
instantia essent infinite revolutiones, quod con-  
tradicit.

**Decimum.**

**Decimum:** Quod est nouum, non est æter-  
num; sed creatura non potest capere esse sine  
innovatione, ergo creatura importat nouita-  
tem, ergo nulla creatura potest esse æterna.

**Vnde decimæ.**

**Vnde decimæ:** Quod semper habuit esse,  
nunquam fuit factum: sed quod est ab æterno,  
semper habuit esse, ergo nunquam fuit factum,  
& per consequens creatura esset à se, & non à  
Deo, igitur creatura non esset creatura.

**Duodecimum.**

**Duodecimum:** Quo existimat Toletus, ex  
quibusdam alijs motiis demonstrasse impos-  
sibilitatem creationis mundi ab æterno: motus,  
& tempus non potuerunt esse ab æterno; ergo  
nec mundus: consequentia patet; antecedens  
probatur; detur, quod ignis, & flappa sint  
ab æterno: quaro, an calefactio potuerit esse  
æterna? patet quod non, quia ignis in instanti  
est; at non potest intelligi, quod illud instans sit  
ignis, & quod tunc sit calefactio, quia cùm illa  
sit motus, non incipit per primum sibi esse, nec  
sit in instanti; ergo cum motus non possit habe-  
re coeteritatem cum mobili, sequitur, quod  
non potuerit esse ab æterno; item ante motum  
cali datur instans cali.

**Decimum tertium.**

**Decimum tertium:** Omnis causa est prior  
suo effectu; sed Deus est causa creaturæ; ergo  
debet esse prior creatura: non potest autem esse  
prior, nisi æternitate; ergo Deus æternitate ne-  
cessariò debet præcedere creaturam, & per con-  
sequens nulla creatura potuit esse ab æterno:  
Addit, quod cùm Deus sit causa temporis, debuit

esse prior tempore, non alia autem duratione  
potuit esse prior, quam æternitate; quia eius du-  
ratio mensuratur æternitate.

**Decimum quartum:** Ponatur, quod mun-  
dus sit ab æterno: quaro, ubinam fuerit produ-  
ctus fol? si in oriente: postea vadit ad occiden-  
tem, finito, vel infinito tempore: non finito,  
quia est in æternitate: non infinito, quia non  
pertransit, nisi spatium finitum.

**Confirmari potest:** Ponatur, quod mulier  
fuerit grauida: quaro de partu, an fuerit æter-  
nus? si hoc dicas, insto; ergo partus ita fuit an-  
tiquus sicut mulier, quod implicat, quia per no-  
vum menses mulier distat à partu: si dicas, quod  
partus non est æternus, hoc repugnat; quia fit  
in æternitate.

**Decimum quintum:** Denique cùm videa-  
mus homines decrescere quoad staturam, quia  
alimentum non restaurat sufficienter humidum  
radicale, iam homines decreuerint usque ad non  
esse suæ staturæ.

## C LY P E V S S E C V N D V S.

**Quod creatura, tum permanens, tum  
successiva potuerit esse ab  
æterno.**

**Probatur primò:** Hoc non repugnat ex parte  
Dei, neque ex parte creaturæ, ergo nullo  
modo: non ex parte Dei, quia nihil Deo est im-  
possibile: non ex parte creaturæ, quia non ma-  
gister repugnat creaturæ non habere principium  
sua durationis, quam non habere finem: sed  
sunt quædam creaturæ, utputa Angeli, anima rationalis &c. quæ non sunt habituæ finem: imò  
nihil vetat, quin motus non habeat finem, er-  
go non erit contradictrio, quod creatura non ha-  
beat principium sua durationis.

**Confirmatur:** Cui non repugnat æterni-  
tas in futurum, nec ipsi repugnat in præteritum;  
sed mundo non repugnat æternitas in futurum,  
manebit enim mundus post diem iudicij, non ta-  
men tempus; ergo non repugnat æternitas ipsi  
mundo in præteritum: id est non repugnat, quin  
mundus fuerit in æternitate, seu ab æterno pro-  
ductus.

**Secundo:** Causæ æternæ effectus potest esse  
æternus; sed Deus est causa mundi, & est æter-  
nus, ergo mundus potuit ab eo produci ab æter-  
no: minor patet, maior probatur, quia posita  
causa cum omnibus requisitis ad agendum, po-  
test sequi effectus, etiam in causis liberis: sed ab  
æterno Deus est causa habens omnia necessaria  
ad agendum, ergo ab æterno potuit producere  
creaturas.

**Confirmatur ex S. Augustino lib. 6 de Trini-  
tate cap. 1. dicente, quod si ignis esset æternus,**  
splendor ab eo genitus esset coeterinus.

**Tertiò:** Quod potuit Deus velle facere ab  
æterno, potuit facere ab æterno; sed Deus potuit  
velle facere mundum ab æterno, ergo potuit  
mundum facere ab æterno. Minor patet, maior  
probatur: quia quod voluntas diuina potest  
velle, eius omnipotens potest exequi.

**Quarto:** Tam est Deus potens producere in  
quantum causa libera, ac in quantum causa ne-  
cessaria;

Num. 12.  
Sex rationes  
quod quæsus  
natura po-  
tuerit effi ab  
æterno. effi  
ratur.

Prima.

Sect. 2.

Tertia. 13